### Dissertatio medica inauguralis de febre puerperarum ... / eruditorum examini subjicit Edvardus Weekes Bennett.

#### **Contributors**

Bennett, Edward Weekes. Woodforde, James Royal College of Surgeons of England

#### **Publication/Creation**

Edinburgi: Excudebat P. Neill, 1823.

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/s3uxrwb5

#### **Provider**

Royal College of Surgeons

#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org



DISSERTATIO M INAUGURAL FEBRE PUERPI isher of his fee (17.)

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

### FEBRE PUERPERARUM.

Tames Hoodforde Eng!-With the compliments & hes. wishes of his friend

## DISSERTATIO MEDICA

3.0

### PERRE PUERPERARUM

MARIA

PARTHUM ONNUS EAMERNE

SHIV MUROWUA IGNARAVAR STATIROTOUR ES

### D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

DISSERTATIO MEDICA

THAUGURALIS

altotto Guada Dottotte

CHARLES ON STREET, STORE STREET, NO PRINTED STREET, ST

### FEBRE PUERPERARUM.

STREET, THE PERSON NAMED IN COLUMN

#### EDVARDUS WEEKES BENNETT

CHARLEST DATE

THE R. P. LEWIS CO. P. LEWIS CO., LANSING, MICH.

Percent of the Principal and section and and the second states and the second section and the second sec

subject the property of the second

- MENDERSON -

LUZU S THERE THE

#### DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

### FEBRE PUERPERARUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

### D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

### Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

#### EDVARDUS WEEKES BENNETT,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla Pestis, et ira Deum, Stygiis sese extulit undis. Virg. Æneid, lib. iii.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

## DISSERTATIO MEDICA

HILL

### FEBRE PUERPERARUM;

State of the Call

MET AUGUSTATE SEVERENDI ADNIGHUM VIMI

### D. GEORGII BATRIK, SS. T. P.

STREET PRINCIPLES & REFERENCE

BRESSEE

NORTHERN SENSETTES SCHOOL CONTROL OF VONLESSEE STATES SERVICE CRUSTOL

### Pro Gradul Doctoris.

SHOWLINGS BY MEDICINE HONORINGS TO ARBITRARIES

STREET LESSTEIN COMPRESSOR

DESCRIPTION OF PERSONS ASSESSED.

#### EDVARDUS WEEKES BENNETT

STREET, SEE STREET, ST

Triction hand fills expecteding, new envior alla-Pastin, et des Decemb, Saygills save excedit medie.

Veren, West de life, tile

Animalis Augusti, bort locoque solitis.

EDINBURGI: EXCEDERAT C. NELLS. MOCCOXXIII. VIRO SPECTATISSIMO,

### CAROLO CARROLL, ARMIGERO,

ANIMI INTEGRITATE,

MORUM SUAVITATE, ALIISQUE VIRTUTIBUS,

QUÆ VITAM ORNARE POSSUNT,

PARITER CONSPICUO,

HANC DISSERTATIONEM,

AMICITIÆ, ANIMIQUE HAUD INGRATI,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

. IN SE BENIGNISSIME COLLATA,

PERTENUE TESTIMONIUM,

D. D. CQUE

AUCTOR.

DESCRIPTION OF PERSONS

VINO SEMUTATISSING.

### CAROLO CARROLL, ARMICERO,

DANIEL HARRELOV

MOREM STANGARTS, MEGGERS, VIRTETIBUS,

QUE VITEM ORNARD POSSUNT,

HUNNERSCHENNER

#### HANC DISSERTATIONEM,

REVISED AND THE PROPERTY AND INCHASE.

design from the case and the first incoming on the binding of the case of the

sardens filmes this compar afford, or protors into retorn

Vale, arrive reals

Lineappen magel sides (

VIRO EXIMIO,

ET

AMICO OPTIMO,

#### DANIELI HAMBLIN,

ARMIGERO,

S. P. D.

#### EDVARDUS WEEKES BENNETT.

VIR SPECTATISSIME,

Beneficia qua in me contulisti, et amicitia quâ me semper honorasti, aliquod grati animi indicium postulant, ergo occasionem nunc oblatam, ad benignitatem tuam agnoscendam, lubentissime arripio. Utinam! me aliquid offerre posse, beneficiis a te acceptis æquivalens; accipe tamen hoc exiguum grati animi testimonium, et pro certo habeto, me, dum spiritus hos reget artus, amicitiam tuam nunquam obliturum.

Diu vivas, et valeas, lætus tuis omnibus intersis, auræque felices tibi semper afflent, ex pectore imo voveo.

Vale, amice vale.

Dabam Edinburgi, Kalendis Augusti MDCCCXXIII. DISSERIE WORDS STREET, &

STILLING THE

MINTER OFFICE

### PANIELI HAMBLIN, FERRE PURERARUM

AL PLAN

#### EDVARDUS WERRENTE

VIE SPECTATISSINE

Bexariera qua in me contulisti, et ainicitia quá me acreas homoraris, aliqued grati animi indicium portulant, ergo occasionem nune obladam, ad benignitatem
tuam agnoacendam, labentissime arripio. Utinam! inc
acrepe tames doc exigum grati enimi testimonium, et
pris arto hoc exigum grati enimi testimonium, et
citium trant nunquam obliturum.

this rives, et valous, letus tois omnibus intervisa, andeque felices (ibi semper afficut, en preter e imo vonce.

Ladam Edinburgs, 1911.

DE PERRE PURRPERARUM

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

### FEBRE PUERPERARUM.

EDVARDO WEEKES BENNETT Auctore.

#### PROŒMIUM.

HI morbi attentionem medici maxime sibi vendicare debent, qui ex naturâ, violentiâ, exituque lethali, minimum temporis ad ferendam ægris salutem permittunt. Ad diligentiam in his quoque augendam sæpissime accidit, quod cito atque prudenti remediorum usu, morbos quamvis periculosissimos ad finem felicem perducere possimus. Hujusce rei exemplum habemus in morbo quem pro hujus dissertationis argumento selegi, qui, ni principiis obstetur, signis tam diris in ejus progressu stipatur, et faciem adeo horrendam induit,

ut omnia medici auxilia, utcunque idonea, frustretur.

Febris Puerperarum morbus est, qui, in omni regione, omnibus anni tempestatibus, omni cœlo, sæpissime autem nosocomiis, urbibusque confertis accidit; nulli ætati aut ordini puerperarum parcit; neque quibus partus facilis fuerit nec difficilis; neque quibus bonus, nec malus corporis habitus; neque quibus est valetudo firma, nec infirma. Igitur nil mirandum est, morbum tam late diffusum, formosissimam amabilisissimamque partem generis humani corripientem, tantum miseriæ atque stragis efficientem, studium medicorum gravissimum in omni ævo provocasse.

Quandoquidem tam multi et scientià insignes viri, hunc morbum exponendo sese exercuerunt, descriptionem inceptare in me ineptum videatur; sed hoc opusculum, nisi votum hujus præclaræ Academiæ mandata exequendi me impulisset, luci nunquam tradidissem. His præmissis, modo tam simplici et manifesto quam facere possum, indicia morbi distinguentia, causas monstrare, rationemque medendi, et alia ad eum pertinentia, conabor, ut occasiones mihi contigerunt videndi, dum inter ægras versabar Nosocomio in curam parturientium Eblanæ constituto.

#### DE MORBI HISTORIA.

Februs Puerperarum post partum incipit, plerumque exeunte secundo, vel ineunte die tertio, cum rigoribus, et maximo dolore in regione hypogastricâ, parte digitis impressâ. Quamvis hunc ordinem fere observat, tamen varietate non prorsus caret, nam in ipso parturiendi tempore, vel etiam ante (Hulme et aliis testantibus\*) puerperas invadit, et cum doloribus partum sequentibus confundi solet, alias non nisi multis elapsis diebus †. In mulieribus nonnullis, adeo leves sunt rigores, ut vix aut ne vix quidem notari possunt, dum in aliis quam maxime sæviunt.

Brevi post tempore, totum abdomen, molestiâ generali et dolore magnopere auctis, tumet, interdumque eam fere æquat molem, quam partu nondum edito habuerat. Rigoribus diminutis calor cutis magnus supervenit, pulsus arteriarum

<sup>\*</sup> Vide HULME's Treatise on Puerperal Fever; necnon CLARKE's Observations on Puerperal Fever.—Med. Commen. vol. v.

<sup>+</sup> Vide case of MARGARET MYRTLE.--Home's Clinical Experiments and Histories.

tenues plerumque et celeres evadunt ; ac raro minus quam a centum et viginti, ad centum et quinquaginta, in horæ sexagesimâ parte numerantur.

Pervigiliis vexatur ægra, vultus pallet, magnamque anxietatem exprimit, oculos et os lividus circumdat gyrus, oculi in statu medio somnum inter ac vigiliam languidi videntur, alæ nasi motu continuo intremunt. Sitis magna, vomitusque miserrimam importunissime torquent, neque quidquam in ventriculo retineri queat; ejecta initio flava sunt et subviridia, postea ingravescente morbo nigra evasura. Dejectiones præter naturam putridæ sunt, ac spumosæ coloris argillæ. ferventes, simillimæ spumæ cerevisiæ; lingua interdum parum afficitur, sed plerumque initio morbi muco obtegitur; at si signa infausta adsint, sordibus fuscis. Nonnullis tam magna est debilitas, ut nec sese movere in utrumque latus valeant; abdominis dolor maxime urget, pondus etiam stragulorum fatigat, nec tolerari potest; et ad sese levandum musculosque abdominis, et præsertim peritonæum relaxandum, ægra abdomen versus cruribus reductis supina cubat. Interdum secundo tertiove die post febris accessum, fallax occurrit symptomatum remissio, quæ medicum illudat, quia morbus sæpissime talibus exemplis vires acquirit, auctoque impetu redit. Diræ malorum cohorti sese socium addit respiratio difficillima, atque laboriosa; cui plerumque succedit plenitudinis et gravitatis circa præcordia sensus.

In hoc morbi stadio lac evanescit, quamvis prius secretum fuerat copia magna, mammis jam flaccidis et relaxis; lochia aut in toto supprimuntur, aut minuuntur, vel si adsint, vitiata, putrida ac nigra fluunt; urina rubra est et parca, sedimentum furfuraceum deponens, interdum tam magno dolore reddita, ut ad catheteris usum recurrere necesse sit. Negligentia summa adest quoad res plurimas, quæ paulo ante, morbo haud ingravescente, maximam ægrotantis sibi vendicaverant curam, et mater, nuper maxime solicita, jam nil de infante quærit. Maculæ erysipelatosæ sæpe apparent, circiter cubitorum ac genuum juncturas, quæ Nosocomio Eblanæ exitum exitialem semper denunciaverunt, quamvis secundum opinionem Doctoris GORDON\*, haud infaustum

<sup>\*</sup> Vide Gordon's Treatise on the Puerperal Fever.

signum erat in febre quæ Aberdoniæ grassabatur.

Per totum morbi decursum, ægrotans usque ad extremum fere spiritum, mirabile dictu! mentis compos manet, quamvis dolor capitis, præsertim circa tempora atque oculos, acutus adfuerat. Diarrhœa magnæque dejectiones jam succedunt, quamvis initio alvus pertinaciter adstricta fuerat; respiratio magis ac magis laboriosa fit, sudor gelidus in summo corpore erumpit; pulsus arteriarum tam celeres et tenues evadunt, ut nec numerari possunt; vires franguntur; fæces et urina insciâ ægrâ elabuntur; suspiria ex pectore imo infelix ducit, facies cadaverosa fit, donec mors venit, et tot miseriis finem imponit. Tempus exitus exitialis diversis in exemplis diversum; rigor ipse interdum ægram oppressit \*; hoc autem sæpissime post tertium et ante diem decimum accidit, alias tamen post dies quindecim, vel ut quidam volunt, octodecim elapsos †, ægra animam efflavit. The exemple with in quible band telephone

<sup>\*</sup> Vide Manning's Observations on Puerperal Fever.

<sup>+</sup> Vide HULME's Treatise on Puerperal Fever.

#### DE CADAVERIS SECTIONE.

Corporibus hac febre sublatarum exploratis, omnia pene viscera abdominis plus minusve vitiantur. In cavo seri magna copia cum lymphâ coagulabili innatante conspicitur; intestina aëre valde distenduntur, et conglutinantur lymphâ interpositâ.

Peritonæum et omentum inflammatione plerumque implicantur, quæ interdum ad thoracem serpit, partes uteri et vesicæ quæ peritonæo teguntur, necnon inflammatione afficiuntur. Ovaria atque tubi Fallopiani aut suppuratione in toto delentur, aut pure implentur.

In vesicula fellis magna invenitur copia bilis; ventriculus etiam inflammatur, et humoris majorem minoremve copiam subnigri coloris continet, ejusdem generis ac dum morbo laborans ægra ejecit. Si intestina intrinsecus explorata sint, tunica mucosa vitiata apparet, et secretione fusca obtecta. Duo exempla vidi, in quibus lumbrici teretes inveniebantur, quamvis purgantia impigra per totum morbi decursum usurpata erant.

#### DE MORBI CAUSIS.

DE Febris Puerperarum causis varii in varias sententias ivere. Lactis metastasin Levrette. et VAN SWIETEN, dum plurimi alii lochia suppressa, pro causa posuere. Doctor HULME uterum gravidum intestina prementem atque omentum, causam excitantem esse judicat. Doctor ARMSTRONG \*, et alii haud parvi nominis, morbum primo peritonitidem, in ejus progressu cum febre typi typhoidei comitatum, esse putant. Puerperæ huic febri obnoxiæ fiunt, ex omnibus quæ corpus debilitant; talia sunt cibus parcior, parumve nutriens, exinanitiones immodicæ, præsertim sanguinis, aër stagnans, calor nimius, frigus præcipue humidum; pathemata reprimentia, nimirum mœstitia, solicitudo, pudor, metus; hine videmus puerperas innuptas, quæ vel seductæ vel stupratæ fuerant, præ cæteris malo proclives esse; in talibus quoque sanatu difficilior morbus evadit, quia hæc causa nunquam non agit.

Partus tardi ac difficiles, et instrumentorum usus intempestivus, haud immerito accusantur,

<sup>\*</sup> Vide "Facts and Observations relative to the Fever commonly called Puerperal. By John Armstrong, M. D."

obstetrix imprudens atque ignara hic etiam notari debet; utpote quæ multum injuriæ, partum accelerando, utero sæpissime infert. Quicquid inducit plethoram vel auget, huic febri etiam corpus opportunius reddit; igitur cibus animalis et liquores spirituosi liberius sumpti, vita segnis ac desidiosa, alvus tarda, et omnia quæ plenitudini favent, præsertim enumeranda sunt.

Doctor Young, Edinensis, pro causa contagionem sui generis posuit, puerperis propriam, et ait pestem in Nosocomio Regio pro multis annis nec grassari, sed semel exortam fere singulas puerperas infestare: contra Hulme, prorsus negat morbum contagiosum esse, et hæc verba habet: "The Puerperal Fever is not a contagious disease, any more than the Iliac Passion, a Pleurisy, a Nephritis, or an inflammation in any other part of the body \*." Si mihi judicare liceat, opinioni hujus accederem; quia nusquam exemplum vidi, in quo morbus a contagione oriri visus est, quamvis magna erat frequentia inter integras ac ægras, imo febricitans interdum inter duas decubuit, quæ nulla morbi symptomata ostenderunt.

<sup>\*</sup> Vide HULME, op. cit.

#### DE DIAGNOSI.

Quontam maximum est periculum, si Febris Puerperarum cum aliis morbis confundatur parturientes afficientibus, quomodo ab iis dignosci potest, in hac dissertationis parte memorare necesse sit. A doloribus post partum supervenientibus distinguere possumus, dolore acuto et continuo supra totum abdomen illam comitante, dum hi nunc omnino cessant, iterumque quoddam post intervallum redintegrantur, qui sine ullâ febre, aut tensione abdominis circa pubem, lumbos, aut femora observantur; etiam non impeditur respiratio; pulsus arteriarum raro celeres inveniuntur, coactusque sanguis utero expellitur.

Hæc febris ab eâ quam apud scriptores sub nomine Febris Lacteæ invenimus, dignoscatur vehementissimo abdominis dolore, tactusque quidem levissimi impatientiâ, lactis suppressione, mammis flaccidis et relaxis quæ in illâ semper occurrunt, dum in hac dolor abdominis abest, et lac secernitur cum plenitudine, tensione, ac dolore mammarum; præterea in illâ vires magis franguntur, et pulsus arteriarum celeriores sunt, quam in Febre Lacteâ.

A Colicâ facile distingui posset, dolore abdominis nunquam cessante, auctoque si pressura fiat, pulsu vix numerando, pallore vultus, dejectionibus spumosis quæ Febrem Puerperarum comitantur; ægra quoque in lecto sese movere mavult: dum in colicâ, dolores nunc omnino cessant, et intervallis redeunt, atque pressurâ levantur, ægra in eodem situ etiam brevi pro tempore nec manet, sed circiter lectum torquet, vultus rubidus et tumidus fit dum dolor adest.

Febris modica, cutis pruriens, et præsertim abdomen haud tactus impatiens, satis distinguunt Febrem Miliarem, ab illå de quâ sermo est; nam quamvis ingens anxietas, et suspirium frequens Miliarem antecedunt, tamen his eruptio levamen plerumque affert.

Ab Hysteritide Febris Puerperarum discriminetur, dolore nec regioni hypogastricæ, nec ulli certæ parti affixo, sed per totum abdomen vagante; etiam in illå si pressura fiat extra abdominis parietes, uterus nec distingui posset; sed in hac dolor imam partem abdominis tantum invadit, et uterus digitis impressus, major solito et durior videtur; si per vaginam exploratio fiat, os uteri præter naturam sentiens ac calidum a tactu dolet.

Hi præcipui esse morbi mihi videntur, qui ullam Febris Puerperarum similitudinem habeant; tamen observare licet, dejectiones præter naturam putridas et spumosas coloris argillæ, symptomatibus (alibi enumeratis) conjunctis, quum adsit dubitatio, optima signa esse, quibus Febris Puerperarum dignoscatur.

#### DE PROGNOSI.

QUOTIES hic morbus nosocomia pervagatur, prognosis habenda est infausta, et nisi sub initium curatio adhibeatur idonea, sæpissime brevi lethalis evadit. De hac re Doctor CLARKE ait, "When the disease is epidemic, not one out of six recovers, and scarcely any disease is known, except the plague, which kills so rapidly \*."

Hinc medicos summa ope niti oportet, ne de futuro morbi eventu percunctantibus vanam spem injiciant; nam quamvis exitus faustissimus videatur, tamen dubius reputari debet, propter remissiones fallaces quæ morbum comitantur.

<sup>\*</sup> Vide " Practical Essays on Pregnancy, by John Clarke, M. D."

Quo longius a partu distet febris accessus, eo magis exitus lætus sperandus est, quia debilitas neque tam magna adest, neque abdomen tam tumidum evadit; sed præcipue pulsu et spiritu exitus denunciandus est, nec aliorum signorum remissioni fidendum, nisi minuatur pulsus, spiritusque frequentia. Pulsus parvi debiles et frequentes, præsertim si respiratione contractà ac difficili ægra laboret, fatum instare prænuntiant; silentio neque prætereunda verba Doctoris Armstrong, qui ait, "When the pulse becomes extremely weak and compressible, and rises above one hundred and sixty, when there are frequent vomitings of a coffee-coloured fluid, an increase of abdominal distention, repeated shiverings, and a cold damp skin, the case may be considered desperate \*."

Dolor et abdominis tumor purgantibus haud sublati, vel dolor subito desinens cum tumore crescente, animus magis magisque anxius et depressus, vomitus importunissimus, lochia in toto suppressa aut vitiata, maculæ erysipelatosæ circiter cubitorum ac genuum juncturas, viresque

<sup>\*</sup> Vide Armstrong, op. cit.

prostratæ, exitum exitialem semper denunciant. Alvus per totum morbum adstricta pessimi est ominis; haud melioris quoque sunt dejectiones nigræ et spumosæ, quæ si muliere insciâ elabantur periculum ingens adesse monstrant. Contra vero quum alvus, ab initio soluta fuerit, et symptomatum levamen singulis succederit sedibus; dejectionesque naturalibus similes reddantur; et pulsus, qui antea celer et debilis fuerat, tardior nunc plenior et validior evadit, respiratione eodem tempore sine molestià perfectà, et dolore capitis omnino submoto exitum haud infelicem demonstrant. Si, dolore decedente, totum corpus sudor lenis humectet, si vires redeant, et vomitus desinat, nil tum periculi timendum est. Diarrhœa post primum febris accessum ægrotam invadens, tardiore arteriarum pulsu paulatim superveniente, lactis et lochiorum regressus (si priusquam penitus cessassent), optime portendunt.

#### DE PROPHYLAXI.

PERMAGNI nobis semper interest, venienti occurrere morbo, tanto periculo stipato; igitur de apta mulierum tractatione, et ante et post partum, paucis disserendum est. Mulier ex tempore quo gravida fit, usque ad ultimum fere graviditatis diem, modicâ uti exercitatione debet, utpote quæ corpori multum roboris adjicit, perspirationem augendo et circuitum sanguinis æquum promovendo. Alvus adstricta vel præter naturam soluta studiose vitanda est, et si non indies saltem semel moveatur, auxilium ex remediis laxantibus petendum est, veluti oleo ricini, electuario cassiæ sennæ, vel enematibus parum stimulantibus. Calor nimius quoque evitandus est, quippe qui corpus multum debilitat, relaxatque. Partu jam effecto, nihil magis necessarium esse videtur, quam summam ægrotantis diætæ attentionem præbere, quia absente medico, nutrix imperita vel parum prudens seæpissime febrem movet, inepte stimulantia et cardiaca administrando, putans omnino necessaria esse ad vires reficiendas. Somnus omnibus modis eliciendus est, quibus tuto uti possumus; ab omni itaque strepitu amoveri ægram oportet. Quæcunque animum agitant, vel deprimunt, quæcunque tunc temporis solicitudinem excitant, quæcunque demum mentem subito afficere possunt, sive sint læta sive tristia, summâ curâ effugienda sunt. Si alvus

non sponte dejecerit, enema vel medicamentum quod eam leniter solvet, adhibere idoneum est. Humiditas et immunditia omnigena, quæcunque aëra cubiculi corrumpere valeant, celeriter amoveri debent; et cum hæc febris funestissima in nosocomiis grassetur, summâ curâ ad ventilationem et munditiam attendere opus est. Quando hoc malum in Nosocomio Eblanæ ingruit, Doctor Labatt, nuper præfectus, jussit toralia amoveri et lavari, ac cubicula fumigari, fenestris et foribus die noctuque apertis, aëris ventilationem liberam admitti, atque muros ac laquearia cum calce albicari, et omnia lignea pingi.

#### DE RATIONE MEDENDI.

Ex omnibus morbis qui medici curam postulant, forsitan nullus magis promptam validamque opem desiderat quam Febris Puerperarum; hic enim nullum tempus morandi, nisi principiis obstetur, "sero medicina paratur;" quoniam cito omnia in ruinam trahit. In primo mali stadio, cum ægra magno abdominis dolore vexatur, et pulsus arteriarum centies et vicies, imo aliquando centies et quinquagies horæ sexagesima parte moventur, ac sanguis nequaquam motu æquali et leni circumfluere videtur, sed digitum arteriæ impositum fortiter ferit, sanguinis detractio, tum localis tum generalis, maximum præbet auxilium. De sanguinis detractione in hoc morbo tamen multum controvertitur, nam usus ejus aliquibus maxime commendatur, dum ab aliis ut remedium periculosissimum habetur. Doctor Denman, priorem sententiam laudibus cumulat, et hæc verba habet: "It is in general absolutely necessary to bleed in the beginning of the Puerperal Fever, and we may then avail ourselves of the advantage which this operation affords with equal safety and propriety, as in any other inflammatory disease, under other circumstances \*."

Contra, Doctor CLARKE ait: "Bleeding from the system has always been attended with manifest disadvantage, although it has been tried in patients who have been apparently strong and plethoric before †." Hanc litem inter tam magnos auctores componere nec spero; sed si mihi judicare liceat, sanguinis detractio primo morbi ac-

<sup>\*</sup> Vide DENMAN's Introduction to Midwifery.

<sup>+</sup> Vide CLARKE's Practical Essays.

cessu utilissima visa est; et in Nosocomio Eblanæ unciæ viginti e brachio plerumque missæ erant, hirudinibus numero a sexaginta ad octoginta eodem tempore abdomini applicatis. Si post sanguinis detractionem, pulsus arteriarum minus frequentes evadant, sed pleniores et validiores, patet evacuationem fructu usurpatam esse. Balneum tepidum et fomenta calida abdomini imposita magnopere prosunt, quia dolor ab iis levatur, et sanguis ab internis ad partes externas elicitur.

Purgantia tempestive et caute exhibita, plerumque maximum levamen afferunt, irritationem ex fæcibus orientem retentis tollendo, atque corruptos evacuando humores qui in intestinis adsint. De usu alvum purgandi diu et multum certatum fuerat, quia Diarrhœa debilitatem inducere, et exitum properare visa est. Sed hæc conclusio temere deducta erat, quoniam experimentis viri peritissimi Doctoris Hamilton\*, purgantia caute administrata in typho (morbo ad debilitatem maxime vergente), non solum non vires minuunt,

<sup>\*</sup> Vide Hamilton on Purgatives.

sed eas plane reficiunt, materiem fæcosam ex alvo dejiciendo, sæpissime fomitem morbi ipsius, causamque plurimi doloris.

Cathartica impigra morbi initio administrari debent, talia sunt, Submuriatis Hydrargyri, et Pulveris Convolvuli Jalapæ, aa gr. x, cum Olei Menthæ Piperitæ gtt. ij, sub formâ boli; et horas post duas, cyathus vinosus hujusce misturæ:

R Infus. Cassiæ Sennæ 3 viij.

Mannæ optimæ 3 i.

Electuari Scammonii 3 ij. M.

Postquam alvus bene purgata fuerit, acria omittenda sunt cathartica, quia ad tormina excitanda proclivia sunt; idcirco leniora usurpari debent, ut alvus usque soluta teneatur; et ad hoc efficiendum infra scripta mistura maxime efficax;

R Subcarb. Sodæ 3 ij.

Succi Citri Medicæ quant. sufficiat;

Tartrat. Potassæ 3 j.

Aq. Menth. sativæ 3 viij. M.

Sumat ægra cochleare magnum quâque horâ.

Si ægra (ut plerumque evenit) tympanitide

torqueatur, Oleum Terebinthinæ rectificatum, ad drachmas sex vel octo, cui adjiciendus est Olei Ricini par modus, maximo fructu adhibeatur; vel duæ ex sequentibus pilulis quarta quaque hora.

B. Ferulæ Assæfætidæ,
Submur. Hydrarg.
Extract. Coloc. Comp.
Camphoræ aa 3 ss. M. Fiat massa, in pilulas xxiv dividenda.

Quidam medici putant Oleum Terebinthinæ in dosibus magnis administratum, et pannos laneos cum eo, et aquâ calidâ madefactos, abdomini applicatos, optimum esse remedium.

Enemata emollientia intervallis injecta non modo alvum facilem tenent, sed etiam intestina, partesque vicinas dolentes, grate fovent; et si ventriculi irritabilitas purgantia respuerit, multum conferre possunt; si tormina et tenesmus ægram vexent, enema anodynum haud raro indicatur.

Diaphoretica interdum maxime prosunt, præsertim si cutis arida sit, et urgeat sitis, quippe quæ sanguinem ad summum corpus evocant, et sudorem eliciunt. Igitur Pulvis Antimonialis, vel Pulvis Ipecacuanhæ c, Opio effectus præstat felices; ac haustus effervescens ex Sodæ Carbonate et succo Citri Medicæ, cum pauxillo Vini Tartratis Antimonii adjecto, utilissimus est.

Epispastica silentio haud prætereunda sunt, nam multi de eorum utilitate in aliis inflammationibus ratiocinantes, in hâc quoque ea multum commendant; sed corpore in hoc morbo valde irritabili existente, timendum est ne, stranguriam inducendo, permultum incommodi ægrotæ afferant.

In secundo hujus mali gradu, scilicet quando summa adest debilitas, diarrhæâ ac vomitu eodem tempore miserrimam vexantibus, ad Opium et Vinum confugiendum est, quorum usus debilitate periculosâ urgente nunquam differendus est. Opium ore et ano receptum maxime proderit, quia dolorem leniendo et ægram sopiendo, vires lapsas spiritumque oppressum reficit; observatione tamen dignum est diarrhæam, si doloribus levamen afferat, non nisi cautissime cohibendam esse; si autem eâ præsente vires prosterni videantur, et abdomen tumidum dolensque perstet, quam cito reprimi debeat; et ad hoc efficiendum nil enematibus emollientibus ex jusculo

bovino tenui, aut decocto amyli compositis, præstat.

Sæpissime accidit astringentia, et etiam opiata, etsi ample administrata, ad diarrhœam cohibendam nequaquam valere, quod non evenisset, si materies irritans (hujusce diarrhœæ causa) ab intestinis expulsa fuisset.

Si singultus et subsultus tendinum molesti sint, periculosissimi habendi, et ad remedia antispasmodica confugiendum, talia sunt Moschus, Camphora, Æther, Castor; atque uncia hujus misturæ secundâ quaque horâ administrata, vel urgente spasmo, optime conveniet:

R Mist. Camphoræ 3 viij.

Ætheris Sulphurici 3 ij.

Syrupi Croci 3 s.

Tinct. Castor, 3 ss. M.

Per totum morbi decursum ægra victu leni et nutriente sustinenda est, exiguâ copiâ eodem tempore sumptâ, et sæpius repetitâ; carnes vero cibique ex iis parati caute admittendi. Omnia farinacea maxime idonea sunt, quibus (si vires artuum valde imminutæ sint) vini pauxillum adjiciatur; cum autem ventriculus satis restitutus erit, juscula carnesque tenues permittere licebit. Si alvus adstricta sit, postquam morbus in melius tendere cœperit, mitiora purgantia usurpentur.

Aër purus libere in cubiculum admissus ægram valde exhilarat, nam, ut ait celeberrimus GREGORY, "Purus præterea aër corpus reficit atque refrigerat, vires fortasse multum labefactas confirmat, cibi appetitum et concoctionem juvat, et putredini fortiter occurrit, præsertim frigidulus."

gente spasmo, optique convenier

Etheris Sulphurici 5 ij
Syrupi Croci 5 s.
Tinot. Castor. 5 ss. M

Per totute morbi decursum agra victu tem exautricule sustinenda est, exiguâ copià codem empore aumptà, et sepius repetità carnes vera abaque ex us parati caute admittendi. Onuma aringcea maxime idones sunt, quibranti vines are

cuture com datent contraction sature contraction

eint jascula gamesque tennes permittere licebit.
Si alvas adatrieta sit, postquent mordens in melius
tendere copperit, mitiora pergantia tempetatur.

"Aër purus, libere in cubiculum admissus
segram valde exhibatst, ann, ut ait coleberrienus
dance refrigerat, vires fortasse multum labelactas
etapue refrigerat, vires fortasse multum labelactas
confirmat, cibi, appetitum et concectionem juvat,
etaputredimi fortites occurrit presertim frigidulus," eta putres interescent mesertim frigidulus, etaputrescent ann etaputrescent missionem
lus, etaputrescent ann etaputrescent missionem
lus, etaputrescent ann etaputrescent etaputrescent
lus, etaputrescent ann etaputrescent etaputrescent
lus, etaputrescent ann etaputrescent etaputrescent
lus, etaputrescent etaputrescent etaputrescent etaputrescent
lus, etaputrescent eta

To I N 1, 8.

avoran carbamark 250

Street County T as Mr.

Description of the second state of the second



